

DEMONSTRATIO V. PARTIS. Tum nova existit natura, cum novum principium intrinsecum habetur operationum: iam vero iisdem manentibus substantiis possunt diversa principia operationum exurgere. Sane cum singulae substantiae propria essentia constant et determinata vi, necesse est ut alias operationes edere possint cum singulae seorsim existunt, alias cum uniuntur et vires suas conferunt; item alias operationes cum plures, alias cum pauciores copulantur, alias cum hoc modo, alias cum illo modo uniuntur: ex singulis enim et diversis viribus una completa vis exurgit, quae illud potest quod omnes seorsim non possent. Quapropter cum substantiae secundum suas primitivas vires uniuntur, atque ita uniuntur, ut permanens sit unio, et quidem ita ut quod ex unione prodit sit subiectum capax plurium mutationum accidentalium, quibus nempe subest idem manens, tunc obtinet combinatio, cuius intrinseca ratio est in singulis naturis substantiarum; ideoque est *naturalis*; atque id quod exurgit, cum sit principium intrinsecum novum operationum, est quoque nova natura. Huc spectant chimicae combinationes, quibus ex elementis materiae plures et diversae constituuntur naturae.

THESIS XVI^a

I Hypostasis est substantia prima integra, in se tota; II res proinde maxime positiva. III Duplex distinguenda est, propria, et aliena. IV Porro ratio hypostasis propriae amitti aut acquiri potest sola assumptione, aut separatione. V Quare hypostasis propria non re sed ratione tantum a natura vel substantia distinguitur.

DECLARATIO. *Suppositum* dicitur generatim individuum cuiusque naturae in seipso existens: individuum vero huiusmodi in natura intelligente proprio nomine dicitur *persona*. *Hypostasis* autem utrumque significat: quare hoc nomine utemur. Cum manifestum sit substantiam et hypostasim aliquo modo distingui, ut saltem liquet ex mysterio Incarnationis, quaeritur quomodo distinguantur, [realiter ne, an

solo conceptu cum fundamento in re. Id nunc expediemus incipientes a definitione.

DEMONSTRATIO I. PARTIS. Definitio rei alicuius methodo vel divisionis, vel inductionis inveniri potest. (D. CLXXX.) Adhibentibus autem methodum priorem ita procedere licet. Quoniam certe hypostasis est ens, quocum tamen non recipiatur, ens dividitur in substantiam et accidens. Iam vero hypostasis non est accidens; quia non est ens in alio, sed per se subsistens; est ergo substantia. At non omnis substantia est hypostasis, non ergo cum ea recipiatur; addatur ergo alia differentia. Substantia autem dividitur in primam et secundam, at hypostasis non est substantia secunda; quia est ens reale, non abstractum: est ergo substantia prima.

Haec autem rursus non recipiatur cum hypostasi, plures enim substantiae primae non sunt hypostases: ut exempla mox afferenda docebunt. Porro substantia prima vel est natura completa vel incompleta; hypostasis autem non est natura incompleta, nam corpus, anima, manus, pes et huiusmodi in homine, eo quod partes sunt naturae completae, negatur quod sint hypostases; ergo hypostasis est natura completa. Haec autem rursus cum hypostasi non recipiatur, non enim omnis natura completa est hypostasis, ut natura humana in Christo. Porro substantia, quae sit natura completa, appellatur *integra*. Iam vero substantia integra vel est in se tota, vel non est in se tota. Tota in se substantia dicitur, quae non solum est integra ratione naturae, sed imperfectionem subsistendi etiam excludit, cuiusmodi est esse alterius, sive haberi ab alio, sive in alio esse seu subsistere: excludit nempe imperfectionem partis, vel quasi partis, quatenus scilicet ad aliud non accedit, non est alterius, non in alio subsistit. Totum enim dicit perfectum aliquod ad quod partes ordinantur, cuius sunt partes, quodque partes habet. Quare substantia tota in se est ea, quae in seipsa subsistens non habetur ab alio, sed ipsa est quae habet ea, quae ad naturam suam spectant, suique est iuris, si sit rationalis; sui inquam, est iuris, non quatenus libera est, sed quatenus se ipsam regit, eique actiones naturae

imputantur. Substantia vero non tota in se est ea quae ab alia praestantiore habetur, neque sui iuris est. Porro hypostasis non est substantia non in se tota; quia hypostasis est habens non habita, est sui iuris non alterius. Haec autem tandem cum hypostasi reciprocatur: siquidem omnis substantia prima integra tota est hypostasis, et vicissim. Ergo haec est eius essentialis definitio. Vides opus non esse addere explicite terminum *integra*, non quia aliquid accidentale dicat, sed quia in sequenti *tota* continetur. Maioris tamen claritatis gratiae addi etiam explicite potest. Huc redit definitio S. Thomae in Opusc. III contra Graecos et Armenos capite 6^o: *Hypostasis est illa substantia particularis, quae ab aliquo principaliore non habetur.*

DEMONSTRATIO II. PARTIS. Hypostasim negatio aliqua consequitur, nempe negatio quod sit pars, aut alterius: imo exprimi quoque potest per modum negationis, ut videre est in definitione S. Thomae. Verum habere negationem consequentem, et exprimi posse per modum negationis, non perinde est ac constitui formaliter negatione; nam omne positivum habet aliquam negationem consequentem, atque exprimi potest per modum negationis. Iam vero hypostasis non constituitur formaliter negatione, sed est res positiva; quia omnes notae, ex quibus resultat, sunt positivae, nimirum substantia, integritas, totalitas. Imo nihil est positivum magis hypostasi; ea enim habetur perfectissimus modus realitatis existentis.

DEMONSTRATIO III. PARTIS. Hypostasis propria est ea, quae naturaliter competit substantiae in sua integritate sibi relictae. Hypostasis aliena est hypostasis alterius substantiae, quae aliam substantiam sumit suamque facit, ut est hypostasis Verbi pro natura humana. Liqueat hanc distinctam esse a substantia assumpta. Cum ergo disputatur utrum hypostasis a natura realiter nec ne distinguatur, de propria hypostasi solummodo sermo est.

DEMONSTRATIO IV. PARTIS. Cum hypostasis sit non solum substantia prima et integra, sed etiam in se tota, sequitur quod substantia quaevis desinere possit esse hypostasis hoc

ipso quod esse desinit in se tota; potest vero desinere esse in se tota hoc ipso quod alteri accedit sive tanquam pars naturae, sive ad modum partis, ut ab ipso ontologice habeatur. Ergo sola assumptione potest substantia amittere rationem hypostasis. Item si id, quod est pars, quod est alterius, desinat esse pars, aut esse alterius, hoc ipso fit substantia tota in se, ideoque hypostasis. Ergo sola separatione acquiri potest ratio hypostasis. Sane totum quodvis desinit esse totum adiectione alterius rei, praesertim perfectioris. Item quod non est totum, incipit esse totum detraktionem alicuius rei, cui tanquam pars coniunctum erat. Rursus ultimum desinit esse ultimum sola adiectione alterius, et quod ultimum non est incipit esse ultimum detraktionem alterius. Cum ergo hypostasis sit aliquod totum et ultimum in ratione substantiae, incipit aut desinit sola detraktionem aut adiectionem. Haec est certissime doctrina S. Thomae, qui in Opusc. citato c. 6. ait: « Non omnis substantia particularis dicitur hypostasis, sed solum illa, quae ab aliquo principaliore non habetur, manus enim hominis substantia est quaedam particularis; nec tamen potest dici hypostasis, quia habetur a principaliore, quod est homo. Humana ergo natura in Christo est substantia singularis, nec tamen hypostasis dici potest; quia assumitur a principaliore, scilicet a Verbo Dei. » Et (in III p. q. IV. a. 2^o ad 2^m): « Naturae assumptae non deest propria personalitas propter defectum alicuius (perfectionis scilicet), sed propter additionem alicuius quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam. » Ex quibus patet notitiam distinctionis hypostasis a substantia posse naturaliter haberi. Eam exhibet Philosophus (Met. VII. 16).

DEMONSTRATIO V. PARTIS. Haec est praecipua quaestio in hac re. Sunt qui putent hypostasim constitui per aliquam realitatem sive modum realem superadditum substantiae; atque ita fieri posse putant ut natura assumatur, non hypostasis, quatenus ille realis modus distinctus realiter a natura relinquatur, sive assumatur natura absque illo modo. Censent alii non nisi ratione distingui hypostasim propriam

a natura seu substantia, cuius est hypostasis: quae sententia ne perperam intelligatur, haec advertenda sunt. 1° Distinctio est rationis ratiocinatae, h. e. cum fundamento in re: nimirum realitas quae subsistit duplicem veluti functionem exercet tum naturae integrae, tum subsistentis: hac altera fungitur, si sola sit seorsim ab aliis, et est hypostasis: non fungitur, desinitque esse hypostasis, si a praestantiore assumatur: ideo duae sunt formalitates natura et hypostasis, quae ratione distingui possunt in natura assumibili, praecisione obiectiva. 2° Licet hypostasis propria a natura distinguatur conceptu; causa tamen cur natura non sit hypostasis, non est aliquid rationis, sed est realitas sive naturae cui accedit, sive persona, a qua assumitur. Idcirco 3° natura integra non desinit esse hypostasis detractioe alicuius perfectionis, sed imo accessione perfectionis; quemadmodum contigit humanae naturae Verbi.

Sententia negans hypostasim constitui aliqua realitate superaddita naturae, nobis probatur. Sane 1° unica vel potior ratio, qua quidam adducti sunt, ut excogitarent, et defenderent hanc realitatem naturae superadditam, qua constitueretur hypostasis, ea est, quia arbitrati sunt secus explicari non posse mysterium Incarnationis, in quo est assumpta natura, non persona; atqui falsum est id non posse explicari in nostra sententia, ut liquet ex parte praecedenti: ergo nulla est ratio huius realitatis. Imo in nostra tantum sententia explicatur id omne, quod explicandum est. Nam non explicandum est solum istud, nempe assumpta natura non fuisse assumptam personam, sed et hoc, scilicet eo ipso quod assumpta est natura in unitatem personae divinae, non potuisse assumi personam humanam. Iam vero si personalitas humana est modus realis, qui excluditur eo ipso quod natura assumitur, intelligitur ea repugnantia. At si est res quaedam a natura distincta, quae personam constituit, ea, quocumque tandem modo assumeretur natura, poterat quoque assumi, quia potest assumi quaevis realitas: ergo.

Non distingui re personam a natura, patet 2° ex ipsa definitione hypostasis. Convenit enim inter omnes hyposta-

sim esse id quod perfectum et completum est in ratione substantiae, scilicet esse substantiam primam integram totam; atqui substantia est prima, integra, tota per suam ipsius realitatem non per aliud superadditum: est enim prima quia realis, integra propter realitatem omnium partium, tota propter realitatem integram carentem quovis defectu partis.

3° Ista realitas superaddita esset aliquod accidens complens substantiam vel in ratione naturae, vel in ratione existendi. Iam vero nequit dici primum; quia sic substantia assumpta sine hypostasi non posset esse substantia integra, quod falsum est. Neque secundum dici potest; etenim vel spectatur modus existendi per se, ut nimirum substantia non sit in subiecto, vel spectatur specialis modus subsistendi, ut nempe substantia sit in se tota, non sit alterius: si primum, id est essenziale constitutivum substantiae, quod proinde ponitur eo ipso quod substantia ponitur: si alterum, id a nullo accidente potest conferri substantiae, tum quia nequit ullum accidens tribuere subiecto effectum formaliter oppositum naturae suae; omne autem accidens est essentialiter ens alterius: tum quia nequit assignari ratio cur substantia eo quoque accidente inhaerente nequeat assumi; quum possit assumi omnis realitas: tum tandem quia in ea hypothesi resultaret hypostasis ex substantia et accidente, esset proinde ens accidentale, quum e contrario sit maxime ens substantiale: ergo.

Corollaria. 1^m Ergo eadem realitas separata suique iuris est hypostasis, assumpta desinit esse hypostasis; hypostasis igitur est modus substantiae. Est autem modus realis: vere enim in se est tota substantia, praecisione facta a nostro concipiendi modo, ceterisque adiunctis.

2^m Cum omnis natura creata hoc ipso quod finita est assumi possit saltem a Deo, sequitur haberi in creatis compositionem metaphysicam inter naturam sive substantiam et hypostasim, quatenus natura potest esse sine propria hypostasi, et haec proinde non est de eius essentiali conceptu.

3^m Hypostasis quidem per se est perfectio simplex: quatenus vero est talis hypostasis, sive hypostasis naturae as-

sumptibilis est perfectio mixta, dicens nimirum imperfectiorem, h. e. exclusionem perfectioris modi subsistendi in alio praestantior se, nempe Deo.

4^m Distinguenda est ratio communis hypostasis a ratione talis hypostasis. Ea constituitur his tribus elementis, substantia, integra, in se tota. Haec determinatur a conditione naturae, cuius est hypostasis. Hypostasis naturae rationalis dicitur *persona*. Rationalitas proinde constituit personam non prout haec est hypostasis, sed prout est dignior hypostasis subsistens in tali natura: propter quod speciali nomine vocatur persona.

Nota. Comparata hypostasi etiam propria cum natura, prout distinguuntur ratione, hypostasis dicitur id quod est (nempe subsistit), natura id quo hypostasis est (nempe talis); hypostasis id quod habet, natura id quod habetur; hypostasis id quod agit, seu principium quod operationum, natura id quo hypostasis agit, seu principium quo operationum. Cum hypostasis est aliena, patet distinctiones has esse reales. Cum autem est propria, nequeunt esse nisi rationis, quia ratione tantum natura distinguitur ab hypostasi propria. Haec autem distinctio rationis cum fundamento in re (cf. p. V), sufficit ut haec diversa praedicata utrique tribuantur; et haec diversa praedicatio sit non solum logica sed realis. Etenim ad primum quod spectat, quemadmodum alius et alius est conceptus naturae et hypostasis, ita alii et alii possunt esse conceptus qui cum alterutro componantur. Sane id quod est complete est id quod in se ipso subsistit, qui est perfectus modus existendi: iam vero natura potest subsistere in alio, et non subsistit in se ipsa nisi; cum est hypostasis, ergo concipiendo hypostasim concipitur id quod est, complete nempe et perfecto modo. Quod autem subsistit est tale vel tale secundum diversam naturam, vel notas constituentes naturam, concipiendo ergo naturam concipitur id quo hypostasis est talis. Rursus natura ab alio haberi potest, hypostasis non potest, sed cum in se ipsa subsistat habet omnia quae naturam constituunt. Natura ergo concipitur ut habita, hypostasis ut habens. Tandem

cum operatio sequatur esse, et eius sit quod habet naturam, seu vires operandi, sicut hypostasis concipitur id quod est, et quod habet, ita dicitur quoque id quod operatur: et sicut natura concipitur id quo est, ita dicitur quoque id quo hypostasis operatur. Ad alterum quod spectat, nimirum distinctione rationis posita cum fundamento in re, diversas has praedicationes esse non solum logicas, sed reales, manifestum est. Etenim hypostasis modus est realis naturae; et res huc redit: ut natura sit id quod est, sit habens, sit principium quod, ipsa debet esse hypostasis, debet in se, non in alio subsistere.

Item natura dici solet communicabilis, persona incommunicabilis. Verum cum persona dicitur incommunicabilis, si intelligatur non posse communicari realitatem illam, quae est hypostasis, negandum est: si intelligatur quod nequeat illa realitas communicata manere hypostasis, concedendum est: sed tunc consequitur tantummodo quod hypostasis sit modus naturae, non quod sit alia res a natura. Haec pluribus quoque difficultatibus solvendis conducere possunt. Difficultatem aliam expediemus in thesi XVII de Modis.

DE ACCIDENTE.

I Ad accidens quod spectat, duae potissimum quaestiones fieri possunt in Ontologia, altera, quot sint: altera quid secundum eorum genericam notionem sint. Speciales enim notiones spectant per se ad speciales partes philosophiae. Ad alteram quaestionem et ea pertinet, utrum nimirum a subiecto cui insunt, realiter distinguantur.

Haec quidem quaestio praecipue agitur quoad quaedam determinata accidentia; nam quoad alia, vel facile convenit inter omnes ea non nisi ratione a subiecto distingui, vel non adeo pertinaciter distinctio defenditur. Huiusmodi quaestio agi potest vel de singulis accidentibus speciatim, vel universim de accidentibus, an sint vel saltem possint esse quaedam distincta realiter a substantia. Quaestionem

de possibilitate modo tractare licet, praemissa notione eius accidentis, de quo est agendum.

II Itaque distinguendum est primo accidens logicum ab accidente physico. Accidens logicum unum est ex universalibus: illudque dicitur quod contingenter advenit alicui essentiae, seu quod adesse et abesse potest salva rei essentia (D. LXI, LXII); quidquid ergo concipi potest alicui essentiae, quae tanquam species accipiatur, contingenter accedere, illud spectat ad accidens logicum. Quare et substantiae eo pertinere dicendae sunt: nam et essentiae alicuius accidentis contingens est quod sit in hoc vel illo subiecto; ut sapientiae accidentaliter contingit esse vel in homine, vel in angelo.

Accidens physicum est reale, inestque substantiae; atque tale est independenter a mentis consideratione. Hoc est quod ex Philosopho superius definivimus, quodque dividitur contra substantiam. Essentia eius secundum rationem spectata alia est ab essentia substantiae, cui inest; essentia enim est quidquid est terminus definitionis, το τι ἢν εἶναι, ut ait Aristoteles: atqui definitio cuiusque accidentis exprimit aliud ac definitio substantiae, cui inest.

III Accidens physicum vel est accidens proprie dictum, vel est modus contingens substantiae. Modus non est res distincta a subiecto, cuius est modus: et de eo in fine huius capituli disputabimus. *Accidens physicum* proprie, quod et *absolutum* vocari solet (cetera enim, in quadam relatione consistunt) vel *accidens reale*, ut a *modali* distinguatur, dicitur res distincta a substantia, imperfectior substantia, eadem naturaliter inhaerens, ab ea dependens in exsistendo. Quaestio duplex fieri potest: 1° an sint talia accidentia: 2° an saltem esse possint. Prior quaestio singulis suis locis opportunius disputabitur, ubi de singulis accidentibus sermo occurret. Altera autem quaestio nunc potest tractari.

IV Si quod de natura et proprietatibus accidentis veteres tradiderunt, considerare velimus, fieri potest, ut iidem videantur censuisse accidens quodvis non nisi ratione a subiecto distingui. Saue haec sunt praecipua capita doctrinae

de Accidentibus. 1° Ens non univoce dicitur de substantia et accidente, sed de hoc praedicatur *analogice analogia attributionis ad substantiam*; et eo modo accidens dicitur ens, quo color dicitur sanus. Hinc in definitione accidentis semper ponitur substantia, quae est analogum princeps. Ita S. Thomas Opusc. De Accidente. Atqui si ita est, accidens non habet realitatem propriam distinctam a realitate substantiae, quemadmodum non est alia sanitas qua color dicitur sanus, ac sanitas animalis. Scilicet accidens non est ens per formam intrinsecam sibi propriam; secus enim non oporteret ipsum definire per princeps analogum; sicut non definimus entia finita per infinitum.

2° Accidens *non est ens*, sed *entis ens*. Ita veteres communiter. Illa formula *entis ens*, nequit significare tantum quod accidens sit alterius; nam et partes sunt alterius h. e. totius; et natura humana in Christo est alterius h. e. personae divinae. Sed illud additum *entis* diminuit propriam significationem termini *ens*; quod ex membro opposito patet: nempe *non est ens*. Atqui si accidens est realitas distincta a subiecto, vere est ens; quia vere non est nihil, et non est nihil per realitatem propriam: ideoque poterit quidem vocari *entis ens* quia est alterius, in alio, sed non tantum *entis ens*, ita ut negetur esse *ens*; quia vere est ens. E contrario si accidens non sit nisi modus nullam aliam habens realitatem a realitate subiecti, vere dicitur ipsum prout accidens est, *non esse ens*, sed *entis ens*.

3° Accidens *non est id quod est*, sed *id quo aliquid est* « formae (non subsistentes) et accidentia, et alia huiusmodi *non dicuntur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est*: ut albedo ea ratione dicitur ens, quia eius subiectum est album » (S. Thomas I p. q. XLV. a. 4). Iam vero qua ratione accidens *non est id quod est*, si reapse est realitas distincta a substantia? Erit quidem *id quo aliud est*, sed erit simul *id quod est*; haec enim est definitio *entis* (Cap. I. n. II), et accidens est ens, separabile etiam, si Deus velit, absque sui intrinseca mutatione, a subiecto.

4° Accidens *non fit, sed per ipsum fit subiectum tale*.

S. Thomas ibid. et qq. disputt. q. III de creatione a. 1 ad 13^m. Et art. 9 « res quae fit, inquit, proprie et per se fit » fit autem per se id quod existit per se, scilicet substantia: ergo solum subiectum fit. Quod et Aristoteles monuerat dicens non fieri rotunditatem, sed sphaeram rotundam Metaph. VIII, 8. Verum si accidens est ens distinctum a subiecto, utrumque oportet esse, nimirum et ipsum fieri, et per ipsum fieri subiectum tale; licet una actione fiat, quemadmodum una actione anima creatur, corporique unitur, sive creatur anima in corpore. Sane illud vere fit quod est res nova, quae prius secundum suam realitatem non erat; nequit enim incipere esse nisi producat: si autem sit res distincta ab aliis, ipsa est per se terminus productionis; quia terminus productionis est esse, et accidens habet esse suum, quia est res quaedam. Si vero e contrario esse accidentis non est aliud ab esse subiecti, vere dicitur non fieri ipsum, sed solum fieri subiectum tale per ipsum; non enim est duplex terminus operationis, ut fiat e. g. rotunditas, et uniatur subiecto; sed tantum fit rotundum.

5° Accidentis esse est *inesse*. Ita communiter. Id in modis optime intelligitur; non enim sunt res distinctae a subiecto, ut *figura*: At si accidens est res distincta a subiecto, habet propriam essentiam et existentiam (th. III) separabilem quoque a subiecto: quocirca *inesse* consequitur quidem essentiam eius, quae id naturaliter exigat, sed non erit ipsum esse accidentis, quod sine eo esse potest. Et quamvis dicatur non ipsam inhaesionem esse essentialem, sed aptitudinem ut insit; attamen haec aptitudo essentiam quamdam supponit, cui competit; et haec erit esse accidentis.

V Videntur igitur veteres de accidentibus locuti esse quemadmodum loqui solemus de modis rerum. Nihilominus constat eosdem censuisse quaedam accidentia distincta esse realiter a subiecto, ac posse quoque divina virtute separari. Quid ergo? contradictoria sibi protulerunt? nequaquam. Sed quae de accidentibus generatim sumptis vere affirmabant, ea, cum ad certam speciem accidentium trans-

ferrentur, sensu quodam pressiore, magisque limitato accipiebant. Scilicet adverte quod penes S. Thomam *ens* simpliciter dictum, atque *id quod est*, non sunt quodvis ens, sed *ens per se existens*; quare accidens comparatum cum ipso dicitur *non ens*, sed *entis ens*, non quia sit nihil, sed quia non est substantia, et est substantiae, et in substantia existit. Item dicitur *analogice ens ad substantiam*; eo autem exemplo analogiae attributionis utebantur veteres ad significanda quoque analogia per formam intrinsecam (cf. Caietanum opusc. de Analogia nominum c. 2.) Rursus dicitur non esse *id quod est*, sed *id quo aliud est*; quatenus non est substantia: et eius propria natura in eo est, ut subiectum determinet ad quemdam modum essendi accidentalem. Neque *ipsum fit*, quia fieri dicitur id quod est terminus intentus ab agente, in quem directe fertur causa agens; id porro est vel ens subsistens, vel subiectum in concreto existens aliqua forma vel qualitate informatum. Tandem *accidentis esse* dicitur *inesse*; quia haec est eius destinatio essentialis: scilicet *est ens in alio*, secundum quod a substantia discernitur, quae est *ens non in subiecto*.

VI Non defendimus omnes eas formulas applicatas quoque accidentibus absolutis veluti proprias ac claras: sed ad concilianda veterum dicta proferimus eam interpretationem, quae, spectata eorum universa doctrina, opportunior videtur. Ceterum in hypothesei huiusmodi accidentium censemus concedendum simpliciter esse, quod ipsa sint, debeantque dici *ens*, sint *id quod est*, et ipsa *vere fiant*. Ratio patet ex dictis superius.

VII Itaque ut ad quaestionem ab initio propositam redeamus, an nempe possibile sit accidens absolutum sive reale; abstractione facta a quibusdam proprietatibus quae ipsi a veteribus asserebantur, et re per se spectata, respondemus repugnantiam talis entis non esse manifestam. Sane huc redit huiusmodi accidentis notio: ut scilicet sit *ens quoddam, sua proinde constans essentia et existentia* (Th. III) *cum intrinseca dependentia in existendo a subiecto; quae dependentia in eo est posita, ut ens illud sit essentialiter*

alterius, et sit essentialiter complementum alicuius potentiae subiecti. Talis, ut exemplum tantummodo exhibeamus, concipi posset vis seu ἐνέργεια, quae esset principium immediatum operationis: haec enim est essentialiter agentis, et ex essentia sua complet substantivam activitatem subiecti, quae per se in potentia est, iam vero dicimus repugnantiam huius entis non esse manifestam. Manifestatio huius repugnantiae pendet ex ea demonstratione, qua evincatur omne ens, eo ipso quod est, esse substantiam, sive nullam rem realiter intercedere inter substantiam et nihilum. Atqui negare licet consequentiam huius argumenti: *istud est, ergo est per se.* Nam *esse per se* arguit perfectionem positivam subiecti, quae est ratio cur illud per se existat, quae non alia esse potest, quam realitas seu perfectio ipsius. Haec autem perfectio deesse potest, aut saltem non liquet cur debeat inesse alicui enti, eo quod ens est; cum non solum conceptus entis sine illa habere possit, sed possit perfectio alia minor illa concipi, qua vere constituitur aliquod ens, qualis est ea, quam superius descripsimus, notionem exhibentes accidentis. In qua notione nulla apparet contradictio, nisi dicatur haec esse contradictio, quod aliquid sua existentia existat, et tamen non existat per se. Atqui heic nulla est contradictio; nam existentia propria entis, quae non est nisi ipsum ens reale, non dicit negationem subiecti, cui inhaereat res quae existit, sed solum dicit negationem nihili. Scilicet existit quidem existentia sua accidens, dum est in rerum natura, tamen nec fieri nec esse potest nisi in subiecto, quia huc tota sua essentia spectat ut aliud secundum aliquam potentiam quam habet compleatur, sive, ut aiunt veteres, accidens est essentialiter id quo aliquid est.

Si vero praeterea addas repugnantiam hanc visam non fuisse tot subtilissimis scholasticis, imo hos censuisse oportere huiusmodi accidentia admittere pro explicandis saltem quibusdam factis supernaturalibus; argumento quidem extrinseco, sed non parum idoneo, constare poterit hanc repugnantiam manifestam non esse. Quod et de aliquo accidente

sensit clarissimus hac nostra aetate philosophus Salvator Tongiorgi. Cf. Cosmologiam L. I. c. VI. n. 234. coll. Ontologia L. II. c. II. n. 180, 4.

VIII Quaeres quomodo huiusmodi accidens fieret; an educeretur de potentia subiecti, ut veteres docebant?

Respondeo doctrinam veterum quoad productionem accidentium huc redire. Fieri ea quidem ex subiecto, non eo sensu quod subiectum aut eius pars existat veluti pars materialis accidentis, qua nempe intrinsece constituatur accidens; sed quod fiat dependenter ab illo et in illo, concurrente subiecto ad eius effectum, sicut sustentat ipsum cum est. Causa autem productiva accidentium duplex ab ipsis distinguitur; nam accidentia distinguunt in ea, quae sunt propria et per se, et in extranea. Horum causa est agens extrinsecum: illorum vero est ipsa forma substantialis vel essentia substantiae, quae sive ut causa principalis, sive ut instrumentalis causa sui productoris, ea accidentia in se sua activitate producit, cuiusmodi putabantur esse vires, seu facultates naturales subiecti. Cf. S. Thomam I p. q. LXXVII, a. 6. Suarez Metaph. D. XVIII, sect. 3, et D. XIV, sect. 1. Non est opus de his opinionibus iudicium ferre: illud vero affirmari potest, accidens a causa efficiente subiecti fieri posse, fierique dependenter a subiecto, a quo eius productio adiuvatur, quia non nisi in eo, et ut eius sit, fieri potest.

IX Quaeres an accidens huiusmodi habeat rationem partis. Respondendum est ipsum non esse partem subiecti, cui inest; et ideo definitionem accidentis ab Aristotele datam in eo quoque valere. Quia vero ex substantia et accidente fit compositum aliquod et totum, quod vocatur totum accidentale, totum autem coalescit ex partibus; negandum non est tale accidens habere rationem partis cum substantia in ordine ad illud totum.

X Hac disputatione non effectum est accidentia talia existere, neque demonstratum est ea esse possibilia: tantum probatum est non esse manifestam repugnantiam eorum. Quorsum autem hoc? Ut scilicet si aliunde tibi certo constet